

2. Cor. 4. v. 17. afferit, Momentaneam leuitatem afflictionis in hoc mundo καὶ ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρους δόξης κατεργάζεσθαι. Hisce meditationibus, etiam Sanctorum Patrum animos frequenter fuisse occupatos, tot aurea eorum, & melle dulciora, hac de re, testatur scripta: vt facilimè, qui vel vnus Augustini Meditat. Soliloq. & Manuale perlegerit, fatebitur. Quamuis & alii, huius viri, istis cogitationibus referti sint libri. Quales & hæ sunt, tom. 7. tract. de lib. Arbit. Tanta, post hanc, in altera vita erit pulchritudo iustitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ; vt etiam si non liceret in ea amplius viuere & delectari, quàm vnus diei horam, propter hoc solum, innumerabiles huius vitæ dies, pleni deliciis & affluentia rerum omnium, meritò recteq; contemnerentur. Nō enim falso affectu dictum est, quod melior sit dies vna, in arriis Domini, super millia. *Pal. 84.* Quocirca etiam nos cogitationibus hisce intentos quotidie, eò anhelare, & dum agimus omnia, id vnicum agere seriò decebit; vt ex ergastulo hoc, & pristino calamitatum miserrimo, tandem perueniamus in regnum id beatitudinis sempiternæ: vbi (vt ait August. Soliloq. c. 35.) lætitia est sine tristitia, salus sine dolore; via sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte, omne bonū sine omni malo. Vbi iuuentus nunquam senescit; vbi vita terminum nescit, vbi decor nunquam pallefcit, vbi amor nunquam

repefcit,